

324

322

328

318

333

313

373

273

423

223

Ende

Anfang

313

et templa idolis erexerunt. Porro destructis templis et dejectis  
idolis in cornu promontorii illius aedificata est una praecella ca-  
pella spectans ad mare in honore S. Michaelis et sanctorum an-  
gelorum, quorum ministerio Deus mare conturbat et quietat, ven-  
tos emitte vel retinet, quia sunt legati maris, de quibus habetur  
Esaiae 18. et Apocal. 7. de quatuor angelis, tenentibus quatuor  
ventos, ne flarent. Et de sancto Michaele similiter canitur, quod  
concussum est mare et contremuit terra ad ejus deseensum, unde  
moderni nominant cornu hoc promontorii S. Michaelis alam, et  
opinantur simplices, quod S. Michael stet in cornu promontorii  
et ala sua concutiat ventos navesque illas, in quibus sibi reve-  
rentia non exhibetur, repellat, ne transire valeant. Unde nautae  
circa haec loca singularia S. Michaeli servitia exhibent et vota  
vovent. Hoc promontorium quidam nominant Tenorium, forte a  
tenendo dictum, quia naves ibi saepe diutius tenentur nec pro-  
gredi permittuntur; aliqui habent Tenarus: contingit enim naves  
ibi teneri per duos vel tres menses propter multitudinem ventorum  
in cornu illo concurrentium. Nam per ventos maris ex hiatu  
montis fortis efflat spiritus multum infestus maribus, nec possunt  
naves petere et venire in latitudinem, quia scopolis et rupibus  
undique repletum, ita ab una parte est promontorium, ab alia  
est quidem mare, sed totum scopolosum, et solum remanet locus  
magnis navibus transeundi ad latus Malae, ibi enim mare ipsum  
dividitur; nam illa pars superior attingens Graeciam et in-  
sulas Cycladum et Asiam dicitur mare Aegeum, et protenditur  
usque ad Maleam, post Maleam (**181 a**) sequitur mare Adria-  
ticum, quod extenditur usque Venetas ad finem. Et in  
isto utriusque maris medio est periculosa difficultas navigationis,  
et semper fuit, unde vetustissimi poetae reperiuntur in carminibus  
suis ironice compassi fuisse Graecis, pro eo, quod cum Iliis pug-  
nantes innumerabilem hominum multitudinem perdiderunt et Tro-  
jani similiter in parte adversa, et quod non potius servaverunt  
interfectos ad hoc, ut per medium Malei gurgitem fodissent et a  
supremo vertice rupem scidissent usque ad fundum maris et ma-  
nibus intersectorum canale et viam navibus fecissent, ne navigan-  
tes perpetuo impedimento vexarentur. Et profecto, si mons Ma-  
leus esset per medium divisus, multo citius reducerent naves de  
orientem in occidentem, convenienter enim in illo stricto multi venti,

